

riam, et generalem jurisdictionem in clericis suæ Ecclesiæ, jure speciali exercent. Ita Glossa d. c. *Quia propter*, vers. *Ecclesiis viduatis*. et Abbas in c. *Ne pro defectu*, n. 5, et ibi Imola. num. 5, et Layman num. 2, h. t. Idque desumitur ex identitate rationis: nam tales prælati habentes jurisdictionem generalem, etiam quodammodo sponsi dicuntur, can. *Sicut in unaquaque*, 21, q. 2. Simulque intentio præallegatæ constitutionis fuerat, providere « Ecclesiis viduatis, » ne dispendium patiantur: adeoque tanquam favorabilis, merito videtur extendenda etiam ultra proprietatem verborum, spectata intentione legislatoris, quæ ex identitate rationis in lege, seu memorata constitutione expressæ, salis innotescit, juxta dicta, tit. *de Constitutionibus*, num. 387, 388 et 429.

281. *In aliis prælaturis, ac beneficiis sufficit electionem seu collationem fieri intra sex menses.* — Resp. III. Quantum attinet ad alias prælaturas, dignitates, et beneficia ecclesiastica, sufficit, si electio ipsa, vel eorundem collatio, fiat a die notæ vacantiae intra sex menses: quibus elapsis de episcopo ad capitulum cathedrale, et e contra, ac demum iisdem conferre negligentibus ad proximum superiorem devolvitur collatio. Ita expresse habetur in c. *Nulla. 2. de Concess. præbend.* juncto c. *Quia diversitatem* 5, eod. cum concordantiis.

282. *Si electio non sortiatur effectum, eo quod electus non consentiat, vel renuntiet, aut moriatur, habent electores integrum tempus ad novam electionem.* — Resp. IV. Quod si electio intra tempus legitimum celebrata, ex eo non sortiatur effectum, quia electus non consentit, vel post præstitum consensum renuntiat, aut moritur, sive ob occultum ejus vitium, electio irritatur; electores ex tunc (id est, a die dissensus, renuntiationis, mortis, etc.) habebunt integrum tempus ad electionem novam celebrandam, ac si vacatio nova esset; dummodo nihil fraudulenter circa hoc egerint. Ita expresse decisum habetur in c. *Si electus*. 26, h. t. in 6. Et hujus ratio ibidem redditur: quia electores illi jam fecerant, quod spectabat ad ipsos, infra juris terminos eligendo; ac proinde pro matura deliberatione alterius prælati eligendi, merito ad novam electionem illis conceditur tempus integrum, hoc est, trium mensium in cathedralibus, ac regularibus Ecclesiis, vel sex mensium in inferioribus beneficiis; ut explicat Glossa ibidem vers. *Integrum*.

§ XII.

DE PUBLICATIONE SCRUTINII, ATQUE ELECTIONIS; VARIATIONE VOTORUM, ET ACCESSU MINORIS PARTIS AD MAJOREM.

283. *Electio duplex, alia privata.* — Quæritur I. Quid generatim notandum sit circa publicationem scrutinii, atque electionis? Resp. I. Pro evitanda terminorum æquivocatione notandum est, quod in tractatu electionis duplex veluti electio distingui debeat, una *privata*, altera *communis* seu *capitularis*. *Electio privata* idem est, ac singulorum vocalium vocatio, seu suffragatio, per quam videlicet singuli electores secrete, ac singillatim suffragia sua ferunt; de qua loquuntur verba illa, in sæpe cit. c. *Quia propter*, h. t. contenta, ibi: « Qui secrete et singillatim vota cunctorum. » Unde, quia isthæc electio est singulorum eligentium, singulariter dantium sua vota, et consentientium in eum, quem eligunt; jam tot sunt electiones privatæ, quot sunt numero eligentes, ut desumitur ex c. *In Genesi* 55, h. t.

284. *Alia communis, seu capitularis.* — « *Electio communis, seu capitularis*, atque *publica*, » est illa, quæ receptis singulorum electorum suffragiis, et facta eorundem collatione, fit ab uno nomine totius capituli. Et de hac fit sermo in d. c. *Quia propter*, h. t. illis verbis: « Ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major et sanior pars capituli consentit. » Insuper de hac fit mentio in c. *Publicato*, 58, eod. ubi post publicatum scrutinium, et consequenter post data a singulis vocalibus vota sua, « dicitur electio celebranda, » videlicet ista communis, seu capitularis. Siquidem integra electio, est veluti actus moraliter unus totius capituli, qui non censetur completus, donec unus nomine totius capituli loquatur, et eligat prælatum illum publice et communiter, quem antea singuli capitulares, vel saltem plures eorum elegerunt secrete ac singillatim. Et hinc invalida est electio, quæ hac ratione non est communiter celebrata, cit. c. *In Genesi*. § *Nec etiam*, 55, h. t.

285. *Publicatio scrutinii, quæ?* — Resp. II. Duplex quoque in tractatu electionis intervenit publicatio, videlicet scrutinii et electionis capitularis. Et quidem *Publicatio scrutinii* aliud non est, quam publicatio votorum in communi; de qua fit mentio in sæpe cit. c.

Quia propter. b. t. ibi: « *Vota cunctorum in scriptis redacta mox publicent in communi.* »

286. *Et quomodo fiat?* — Quomodo autem hæc publicatio sit facienda, variant nonnihil doctores: nam Suarez. tom. IV, *de Relig.*, lib. II, cap. v, n. 15; Ascanius Tamburinus, tom. I, *de Jure abbatum*, disp. 5, quæst. 6, n. 15. Barbosa, lib. I, *Juris eccles. univ.* cap. XIX, n. 216, et Wagnereck in c. *Quia propter*. vers. *Mox publicent*. h. t. docent, vota publicari in communi, quando integer numerus votorum ætius capituli publice enuntiatur, v. g. dicendo: « *Vota, quæ a dominis electoribus exquisivimus, sunt universim viginti,* » nondum exprimendo personas, in quarum favorem sunt data. E contra vero alii ad hoc requirunt, quod scrutatores palam coram capitulo electum, vel, si plures sint, electos antequam ad alium actum procedant, nominent, et quot vota quilibet habuerit, pronuntient. Ita tenent Zerola in *Praxi episcopali*, part. I, vers. *Electio. in Forma instrumenti electionis*, et Guillel. Mandagotus, tom. XV, *Tractatum*. tract. *de Electione novi prælati*, cap. xxx, dicens, quod vota in scrutinio præstita, debeant publicari in communi, « legendo scilicet coram ipsis (electoribus) intelligibiliter, ac distincte, scripturam vota eadem continentem. » Passerinus cap. XIX, *de Electione*, n. 1 et 4, ac Ludov. Engel. h. t. n. 36.

287. *Publicatio electionis communis, seu capitularis, quæ?* — Altera publicatio, quæ est electionis capitularis, in negotio electionis interveniens, fit, quando decretum electionis capitularis promulgatur, et solemniter publicatur. Et de hac fit mentio in sæpe cit. c. *Quia propter*. § in fin. h. t. ibi: « *Electiones quoque clandestinas reprobamus, statuentes, ut quam cito electio fuerit celebrata, solemniter publicetur.* »

288. *Quibusque verbis fieri soleat?* — Fit autem communis, seu capitularis electio, ejusque publicatio, hisce vel similibus verbis: « *Ego N. nomine meo, et omnium mecum consentientium, eligo N. in episcopum, et electum pronuntio, in nomine Patris,* » etc. Vel, si ipse eligens non consensisset, dicant: « *Nomine omnium vestrum, qui in ipsum consensistis,* » etc. Angelus, vers. *Electio*. n. 26, et alii. Quod si alicubi habeatur specialis formula publicandi electionem, longævo usu approbata, illa in praxi observetur.

289. *Electio clandestina, quæ?* — Cæterum *Electio* dicitur *clandestina*, quæ fit singulariter, et occulte per occulta conventicula; ut

inquit Glossa ibid. § *Clandestinas*. Sive, explicat Fagnanus in cit. c. *Quia propter*, n. 65, electio clandestina est, quando canonice concordant inter se ordinando, ut nihil extra capitulum de electione dicatur. Et talis omnino reprobatur, cum oporteat electionem jam factam solemniter publicari, et quidem quam cito fieri potest, seu absque morali interruptione, ut dictum supra n. 130 et 131.

290. *Electores post publicatum scrutinium variare non possunt, bene tamen ante.* — Quæritur II. An electores variare, seu a dato semel suffragio recedere, illudque mutare valeant? Resp. I. Electores post publicatum scrutinium variare non possunt, bene tamen ante ejus publicationem. Ita communis doctorum. Et quidem prima pars expresse habetur c. *Publicato*, 58, h. t. ibi: « *Publicato scrutinio variare nequeunt electores: cum sit facienda collatio, et electio celebranda.* » Hæc ibi. Altera vero pars, videlicet electores posse ante publicationem scrutinii variare (id est, a prima nominatione recedere, et alium eligendum nominare) pariter est communis: atque desumitur ex allegatis jam verbis « *Publicato scrutinio;* » a contrario sensu, ut notat Fagnanus in d. c. *Publicato*, n. 52, h. t. post Innocentium ibid. n. 2. Hostiensem. Joan. Andream, et alios.

291. *Multiplex ratio hujus diversitatis afferatur, et rejicitur.* — Cæterum in assignanda ratione hujus decisionis doctores valde torquentur. Licet enim Glossa in cit. c. *Publicato*, § *Variare*. h. t. quatuor hujus afferat rationes: videlicet, quod per publicationem scrutinii res desinat esse integra; et quod nemini liceat mutare consilium in alterius detrimentum; et quod talis mutatio possit esse damnosa Ecclesiis, ipsam protrahendo electionem; et tandem, quod per scrutinii publicationem electio quodam modo videatur jam finita, sicut per citationem negotium est quasi cœptum, ut c. *Gratum*. 20, *de Offic. delegat.* Nihilominus istæ rationes æque probant, quod non liceat variare ante publicationem scrutinii, contra dicta, num. præced., vel penitus non urgent; ut patet præsertim in tertia ratione: nam cum de jure communi concedatur trimestre, vel semestre tempus ad eligendum, si intra hoc tempus absolveretur electio, nemo dicere posset variationem illam esse damnosam Ecclesiis. Imo et quarta ratio per Glossam adducta nihil urget: ipsa siquidem non videtur vera, cum matrimonium spirituale

inter Ecclesiam, et electum, primum initietur per electionem capitularem, atque ab electo acceptatam, et non antea; ut c. *Licet*, de *Translat. episc.* cum similibus.

292. *Multiplex ratio hujus diversitatis afferitur, et rejicitur.* — Aliam proinde hujus rationem affert Abbas in cit. c. *Publicato*, n. 3, et 4, h. t. videlicet, quod ideo electores publicato scrutinio non possint variare, quia jam sunt functi officio suo: prout a pari c. *Si tibi absentis*, 17, de *Præbend.* in 6, conferens beneficium absentis non potest variare. Sed contra est: quia imprimis hæc ratio patitur urget ante publicationem scrutinii, probaturque etiam tunc electores non posse variare, sicut et conferens absentis beneficium variare nequit, cum sit functus officio suo: atqui illud est falsum, ut patet ex d. c. *Publicato*, h. t. a sensu contrario. Deinde, si consideremus electores, non ut singulos, sed ut collegium, clarum est, quod hi etiam post publicatum jam scrutinium necdum sint functi officio suo, cum ad ipsos adhuc pertineat electio in communi, seu capitularis; ergo vel dicendum, quod ipsi ut collegium possint variare publicato jam scrutinio, contra dicenda n. 294, vel concedendum, quod etiam hæc ratio non convincat.

293. *Ac vera assignatur.* — Melius proinde dicitur cum Joan. Andrea in d. c. *Publicato*, n. 15, et Fagnano, loc. cit. n. 7, et 10, hoc fuisse arbitrium Pontifici: alioquin enim, si is voluisset, potuisset pariter inlibere variationem ante publicationem scrutinii. Congruentia nihilominus hujus præfixionis non modica est hæc: quia variatio post publicationem scrutinii cederet in infamiam, ac injuriam nominati, ex quo facta est publicatio nominis ejus; unde ad præcavendam talem electi confusionem, quæ facile cæteris sequi posset, merito Pontifex decrevit non posse electores variare publicato scrutinio, bene tamen antea.

294. *Electores publicato scrutinio non possunt variare, nec ut singuli, nec ut collegium.* — Resp. II. Prædicta conclusio procedit, sive electores publicato scrutinio velint variare ut singuli, sive ut collegium, et in communi. Neutra enim modo amplius variare possunt; quinimo, si necesse esset, deberent compelli per superiorem ad collationem, et electionem communem faciendam. Fagnanus ibid. n. 11, post Innocentium, Hostiens., Ancharan., et alios communiter. Nam cit. c. *Publicato*, loquitur indistincte: et infamia

nominati non minus oriretur ex una, quam ex altera variatione, seu mutatione votorum, postquam scrutinium est publicatum, nomenque electi propositum.

295. *Dummodo ex votis singularibus in scrutinio datis possit sequi communis electio.* — Resp. III. Nihilominus memorata conclusio tunc solum procedit, quando ex votis singularibus, in scrutinio datis potest sequi, ac fieri communis electio. Ita communis; ac patet ex cit. c. *Publicato* 38, h. t. ubi verba illa, «Publicato scrutinio,» denotant actam perfectam, et consummatam; atque accipi debent cum effectu, arg. c. *In his*, 15, de *Verb. signif.* et cum aliis notat Fagnanus, loc. cit. n. 35. Unde ibidem notanter dicitur electores publicato scrutinio variare non posse, eo quod sit facienda collatio, et electio celebranda; et consequenter, si ex facta collatione quidpiam forsitan appareat, quod electionem reddat vitiosam, ipsoque jure nullam (secus, si hæc per sententiam judicis primum foret cassanda), sicut tunc non debet celebrari electio communis, seu capitularis, sed scrutinium denuo est inchoandum: ita locus est variationi; possuntque, ac debent vocales alium a priori in novo scrutinio nominare, donec inde sequi possit communis electio: nisi forte de unanimi eorum consensu, per formam compromissi placeat electionem terminare.

296. *Secus, si nullus obtinuit vota majora respectu totius capituli.* — Sic imprimis quando publicato scrutinio vota eligentium apparent æqualia, vel saltem nullus nominatorum obtinuit majorem partem votorum respectu totius capituli præsentis; tunc præses tenetur publicare electionem non esse factam, recensendo etiam numerum suffragiorum, quæ quis obtinuit, ut innotescat capitulo vota non consensisse secundum majorem partem in unum (prout notat Sanctorius de Meiff in *Statuta generalia Fratrum Minorum*, cap. 8, Statut. 7, citans alios) et sic possunt vocales novum scrutinium inchoare, atque mutato priori suo suffragio variare. Siquidem nemini adhuc jus fuit quæsitum: et quia ex tali scrutinio, quantumcumque publicato, non potest sequi electio communis, cum in neminem major pars capituli consenserit, hinc cessat ratio cit. c. *Publicato*. Simulque ob eandem causam nulla ex tali variatione irrogatur infamia nominato, vel nominatis in scrutinio. Abbas in d. c. *Publicato*, n. 7, h. t. Fagnanus ibid. n. 36, citans alios.

297. *Vel electus non acceptat electionem, aut huic renuntiat.* — Deinde, si nominatus in scrutinio juri suo renuntiet, atque electionem acceptare recuset, tunc capitulares poterunt debentque variare, alium eligendo. Imo hoc ipsum procedit etiam post publicatum solemne decretum electionis, quando electus dissentit, aut renuntiat electioni de se factæ, c. *Cum inter canonicos*, 21, h. t. et c. *si Electio*, 26, eod. in 6.

298. *Vel si publicato scrutinio apparet, nominatum esse ineligibilem: quia tunc oportet novum scrutinium inchoare, et variare.* — Insuper, quando publicato scrutinio apparet nominatum esse ineligibilem, possunt electores variare novum scrutinium inchoando, et alium eligendo; ut c. *Perpetuo*, 7, h. t. in 6, ac notat Abbas in d. c. *Publicato*, n. 8, h. t. cum aliis, id extendens, qualitercumque appareat electionem futuram esse nullam. Ratio patet tum ex dictis, tum ex eo: quia electio de inhabili facta non tenet, sed ipso jure est nulla, c. *Cum in cunctis* 7, h. t. cum similibus; ergo non debent electores vexare se, atque Ecclesiam inutilibus expensis, neque inutilem moram interponere. Quinimo, si electores scienter persistent in suis votis indigno, seu ineligibili datis, usquedum ex eorum votis communis electio subsequatur, privabuntur ipsi potestate eligendi pro una vice; licet hanc poenam non incurrant, si prius desistunt, ne sequatur communis electio: prout expresse declaratur cit. c. *Perpetuo*, h. t. in 6.

299. *Si electio non ipso jure est irrita, sed per sententiam cassanda, non licet variare publicato scrutinio.* — Additur notanter num. 295. «Secus si hæc per sententiam judicis primum foret cassanda;» ut puta, quia aliquis vocalium fuit contemptus, nec vocatus ad electionem, aut aliam ob causam. Tunc enim publicato scrutinio non amplius licet variare, sed oportet celebrare electionem communem, donec ipsa cassetur. Forte enim contemptus acquiescet electioni, aut superior dispensative, vel alius de causis, postmodum electionem illam non cassabit. Abbas, loc. cit. n. 9; Fagnanus, n. 18; Pirhing h. t. n. 175, et alii.

300. *In electionibus monialium, an, et in quem finem liceat variare publicato jam scrutinio?* — Ulterius in electionibus monialium habetur aliud speciale: nam, quando aliqua earum est electa a majori parte capituli, sed non a duabus partibus sive tertius, possunt

aliæ moniales ad eam accedere, sicque variare etiam post publicatum scrutinium, text. clar. c. *Indemnitibus*, 43, § *Sane. de Election.* in 6. Et ratio hujus specialitatis est, quia talis accessus, atque variatio votorum publicato jam scrutinio, non conceditur, neque fit in ordine ad effectum, ut electio sit valida (prius enim ea jam valebat, utpote facta a majori parte capituli), sed ut abbatissa sic electa statim possit confirmari, etiam omni appellatione remota, ut liquet ex textu, estque jam dictum superius num. 150.

301. *Quid de electione Summi Pontificis?* — Tacetur electio Summi Pontificis: nam in hac plura habentur specialia, possuntque cardinales post publicatum scrutinium (dummodo in eo nondum fuerit facta electio ejuspiam in Summum Pontificem per duas tertias præsentium cardinalium) per accessum nominare alium in Pontificem, quem prius in scrutinio non nominaverant, dummodo hic unum saltem votum in prævio scrutinio reportarit; prout plenius habetur in constit. 13. *Æterni Patris Filius*, et constit. 19. *Decet Romanum*, Gregorii XV, atque referuntur, tom. III *Bullarii Romani*. Occasione quorum,

302. *In electionibus, an valeat accessus minoris partis ad majorem?* — Quæritur III. An in electionibus valeat accessus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, quando prius neutra pars habuit vota sufficientia? Resp. I. Quando electio est celebranda juxta formam in c. *Quia propter*, 42, h. t. præscriptam, ut accedit in Ecclesiis viduatis, non habet locum accessus minoris partis ad majorem publicato jam scrutinio. Ita Abbas in c. *Cum in jure*, 33, n. 6, h. t.; Passerinus cap. xxii, de *Electione*, n. 9, citans alios. Ratio est: quia de substantia hujus formæ electionis est, quod vota dentur secreta, ac singillatim in ipso scrutinio, per textum cit. c. *Quia propter*. Adeoque consensus postea primum superveniens nihil operatur; ut c. *Auditis*, 29, h. t. et c. *Ecclesia vestra*, 57, h. t. juncta Glossa ibid. § *Valebat*, quam sequitur ibi Innocentius, Joan. Andreas, et Abbas n. 10, citans communem aliorum. Igitur in tali casu vel inchoetur novum scrutinium, atque reiteretur toties, donec votis majoribus in unum conspirantibus, possit sequi electio communis; vel votis diutius inutiliter dispersis, totum electionis negotium terminetur per formam compromissi.

303. *Præsertim, si in electione non sit necesse servare formam, c. Quia propter.* — Resp. II. Loquendo de tali electione, in qua non est necesse servare formam in cit. *c. Quia propter*, h. t. præscriptam, ut est electio alicujus in canonicum, quamvis publicato scrutinio non possint variare electores, si quis, cæteroquin habilis, in scrutinio reportavit vota majora: si tamen prius nemo habuit vota sufficientia, valet tunc accessus minoris partis ad majorem, vel æqualis ad æqualem, etiam publicato scrutinio. Prior pars est Abbatis in *c. Publicato*, n. 4, h. t. ac sequitur ex dictis n. 290, et seqq. Nam talis variatio post publicatum jam scrutinium cederet in præjudicium nominati, ac in ejus infamiam et confusionem.

304. *Præsertim, si in electione non sit necesse servare formam, c. Quia propter.* — Altera pars est Glossæ in *c. Cum in jure*, 33, vers. *Consentiat*, h. t. quam sequitur Abbas, loc. cit. n. 7, sic loquens: « Et ex hoc infertur secundum doctores, quod publicato scrutinio possit minor pars accedere ad majorem: quia ex votis minoris partis non potest sequi electio, et nullum jus est acquisitum nominato: pro hoc facit notabilis Glossa *c. Cum in jure*, eod. » Hæc ille. Quod ipsum tradit Joan. de Selva, tom. XV. *Tractatum*, tract. *De Beneficio*, part. III, quæst. 1, n. 25; Layman in *c. Quia propter*, n. 40, h. t. post Sylvestrum, vers. *Electio*, 2, quæst. 7; Pirhing h. t. n. 176, citans insuper Tholosanum, cap. xvi, *de Elect.* n. 15, et Engel, eod. n. 40. Licet enim nonnulli horum auctorum videantur absolute loqui, sicque accessum minoris partis ad majorem admittere etiam in casu prioris conclusionis; nihilominus ipsi benigne videntur interpretandi, sicut et ipsemet Abbas.

305. *Probatur, tunc valere talem accessum publicato scrutinio.* — Ratio autem hujus partis est: quia, præterquam quod ex votis minoris partis non possit sequi electio, simulque nullum jus sit acquisitum nominato; rigor *c. Quia propter*, h. t. respectu talium electionum non obligat; sed sufficit ut quomodocumque vocales collegialiter congregati quempiam cæteroquin habilis eligant, juxta dicta superius, num. 112. Ergo nihil prohibet, quominus eligentes consensum suum præstent per accessum minoris partis ad majorem: non enim hi necessario eligunt per vota secrete et singillatim præstita in scrutinio, prout accidit in Ecclesiis viduatis.

Et per hoc patet manifesta disparitas inter casum hujus, et præcedentis conclusionis, simulque ratio diversæ hinc inde resolutionis.

306. *Afferuntur, et solvuntur contraria.* — Nec hisce dictis obstat cit. *c. Publicato*, h. t. Resp. enim textum illius capituli loqui imprimis de electione, juxta formam concilii generalis in *c. Quia propter*, h. t. præscriptam, celebranda, ut notat Joan. Andreas ibid. et Abbas n. 4, atque colligitur ex littera, dum facit mentionem de collatione, et communi electione subsequenti: sicque non urget de electione, quæ non necessario fit juxta dictam formam. Deinde Decretalis illa loquitur de tali scrutinio jam publicato, ex quo potest sequi solemniter electio; ut patet ex verbis n. 290, relatis, ibi: « *Cum sit electio celebranda,* » quia tunc nominato jus jam est acquisitum. Secus autem in nostro casu, ubi nemini est jus quæsitum, nec ex tali scrutinio potest celebrari solemniter electio; et sic cessat hic ratio illius Decretalis.

307. *Afferuntur, et solvuntur contraria.* — Nec obstat ulterius *c. Auditis*, 29, h. t. ubi irrita declaratur electio facta a minori parte capituli non obstante, quod alii ex post facto ad eam accesserint: « *Cum ex post facto* (inquit Pontifex) nequiverit convalescere, quod ab initio non valebat: quoniam electio, quæ fuerat irrita ipso jure, per subsequentem consensum non poterat esse rata; » ergo idem dicendum in proposito. Resp. enim cum Laymano in cit. *c. Auditis*, n. 2, ideo dictam electionem non valuisse, quia accessus votorum aliorum primum factus est post publicatum electionis decretum; ut patet ex allegatis verbis. Secus fit in nostro casu, ubi accessus supponitur fieri ante publicatum electionis decretum, etsi post publicatum scrutinium.

308. *Afferuntur, et solvuntur contraria.* — Neque etiam obstat textus in *c. Electionibus*, 2, h. t. in 6, ubi expresse « in electionibus reprobatur, et pro non adjectis habentur vota conditionalia, alternativa, vel incerta; » inter quæ, juxta Glossam ibidem, est istud: « *Eligo*, quem archidiaconus eliget. » Atqui (inquit) accessus fit per talia vota, quæ omnino sunt incerta; cum accedentes majori parti ignorent, cui dent votum, imo sic votare videantur: « *Eligo illum*, quem major pars elegerit: » quæ est ipsissima formula eligendi, quam citata Glossa rejicit: ergo. Resp. enim neg. min. Nam ac-

cedentes, seu eligentes eum, quem jam plures nominarunt, neque dant votum conditionatum, neque incertum; cum eligant absolute certam personam, videlicet eam, quæ in scrutinio plura vota reportavit, quamque, utpote a pluribus jam nominatam, rationabiliter præsumunt, ac judicant esse dignam et habilem. Aliud dicendum de formula per Glossam relata: nam, cum ea suspendat electionem pro futuro, donec videlicet quempiam archidiaconus sit electurus, reddit suffragium incertum, sicque invalidum.

309. *Afferuntur, et solvuntur contraria.* — Nec tandem obstat *c. Si cui*, 23, h. t. in 6, ubi reprobatur electio a compromissario secundum traditam formam facta de eo, in quem non major pars capituli, sed plures aliorum comparatione consenserunt. Resp. enim, hinc nihil sequi contra conclusionem num. 303, positum: quia in nostro casu eligendus nominatur a majori parte capituli, per accessum tamen, dum pauciores variant mutando suum suffragium, et accedunt pluribus. Hoc autem in dicto casu non accidit, ubi compromissarii jubentur eligere eum, in quem non major pars capituli, sed solum plures comparatione aliorum consentiunt. Quinimo hoc pugnat contra cap. 1. *De his, quæ fiunt a majori part. capit.* et econtra *c. Quia propter*, h. t. cum similibus.

§ XIII.

DE PRÆSENTATIONE ELECTIONIS, ET CONSENSU ELECTI IN EAM, HUIUSQUE CONFIRMATIONE, ET APPELLATIONE AB IPSA.

310. *Electores tenentur electo præsentare electionem, ejusque consensum requirere, quam citius commode possunt.* — Quæritur I. Quo tempore, et sub quibus pœnis, electio sit intimanda electo, ejusque consensus petendus? Resp. I. Post celebratam electionem capitularem tenentur electores, quam citius commode poterunt, electionem ipsam præsentare electo, ejusque consensum requirere. Ita habetur expresse decisum in *c. Quam sit*, 6, *de Election.* in 6. Ubi Glossa, § *Quam citius* censet hoc esse dijudicandum ad arbitrium boni viri, cum certum tempus lege, vel canone non sit determinatum. Cæterum electio, antequam pro confirmatione deferatur superiori, est præsentanda electo, ejusque requirendus consensus, ut appareat, an consentire velit, nec ne?

311. *Et si neglexerint infra octo dies id facere, puniuntur; et quomodo?* — Resp. II. Quod si eligentes electiones ipsas, concorditer, vel in discordia celebratas, infra octo dies, postquam commode poterunt, electis præsentare distulerint; tunc ipsi, qui culpabiles in hoc extiterunt, non solum quoad se a processu prosecutione totaliter excluduntur; sed insuper ab omnibus beneficiis, quæ in ipsa Ecclesia, de cujus electione agitur, obtinent, per triennium continuum, ex tunc infrachandum, eo ipso sunt suspensi: ad quæ, si infra illud tempus se propria temeritate, vel alio quæsito colore ingesserint, illis textus jure perpetuo sunt privati. Ita habet textus expressus in *c. Cupientes*, 16, § *Cæterum*, h. t. in 6, et amplius declarat Glossa ibidem, explicando præcipuas clausulas.

312. *Eorum tamen negligentia non præjudicat electo.* — Solum adde, quod si eligentes fuerint negligentes in præsentando electionem, ipsi quidem puniantur modo præfato, nihilominus per hoc non noceant electo; prout habetur expressum in d. § *Cæterum*, ad finem. Et ratio est: quia non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri, l. *Non debet*, ff. *de Reg. jur.*; sive, ut habet reg. 22 juris, in 6, non debet aliquis alterius odio prægravari; cum peccata suos auctores tenere debeant, *c. Si Compromissarius*, *d. Electione*, in 6, cum similibus.

313. *Electus tenetur præstare consensum intra mensem, alioquin perdit jus suum.* — Quæritur II. Infra quod tempus teneatur electus consentire electioni de se factæ, et quid de religioso extra monasterium electo? Resp. I. Electus, si electioni de se factæ consentire velit, tenetur præstare consensum infra mensem: alioquin, si eum ultra præstare distulerit, jure, si quod ei ex sua electione fuerat acquisitum, ex tunc eo ipso privatus existit. Ita communis; atque, ad præcavendum dispendiosis Ecclesiarum vacationibus, habetur decisum in d. *c. Quam sit de Election.* in 6. Quamquam Glossa ibid. § *Distulerit*, hoc intelligendum censeat de eo, qui per negligentiam (qualem ly *distulerit* denotat) ac cessante justa causa, sive impedimento, intra mensem non consentit: alias secus, ut illico dicetur de regularibus.

314. *Quid juris, si electus nequeat consentire absque superioris sui licentia.* — Resp. II. Quod si talis persona fuerit electa, quæ electioni de se factæ absque superioris sui licentia consentire nequit (ut fit in regularibus extra